



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Argumentvm In Librum Pastoralis Curæ S. Gregorij Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

ARGVMENTVM

In Librum Pastoralis Curæ S. Gregorij Papæ.



QVANTÆ existimationis, quantæ utilitatis sit Liber Pastoralis Gregorij Magni satis indicant Concilia, quæ illum Episcopis & cæteris animarum rectoribus studiosè legendum perpetuoque meditandum tradiderunt: unde & meritò Episcoporum Enchiridion est appellatum. In quo quæcumque ad onus Pastorale pertinent, accuratissimè exponuntur. Inter alia autem Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno, cùm de reformandis Cleri moribus ageret, hunc Maximè librum commendavit. Et ex Hincmaro Remensi Archiepiscopo præfatione opusculi 55. discimus in more tunc positum fuisse ut Pastorale Gregorij magni unà cum libro sacrorum Canonum in manus Episcopi qui ordinabatur traderetur in ipsa ordinatione à Metropolitano, obtestante illum ut ita servaret in vivendo, docendo, & judicando sicut ibi erat scriptum: quod & Episcopus ipse spondebat. Porro scribendi hujus tractatus causa existit, quod Gregorius à Ioanne Episcopo Ravennate reprehensus fuisset, quia Pastoralis Curæ pondera delitescendo fugere voluisset; ut pluribus à Ioanne Diacono l. 4. vitæ S. Gregorij num. 73. narratur. Cæterùm in eo sanctissimus Pontifex illos arguit, qui Pastoralem Curam tam onerosam temerè & veluti clausis oculis suscipiunt: tum eos qui legitimè Pastorale onus adepti sunt, docet qua ratione illud rite ac juxta regulas Evangelij & Ecclesiæ moderari possint. Quo verò in pretio habendus sit iste liber, ex subiectis testimoniis manifestum fiet.

Concilium Turonense III. sub Carolo Magno anno 813. Canone 3.

Nulli Episcopo liceat Canones aut librum Pastoralis à beato Gregorio Papa editum si fieri potest ignorare, in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo assiduè considerare.

Concilium Cabilonense II. sub eodem Imp. eod. anno Can. 4.

Episcopi Canones intelligant, & librum beati Gregorij de cura Pastoralis, & secundùm formam ibidem constitutam & vivant & prædicent.

Concilium Aquisgranense II. sub Ludovico Pio an. 836. Can. 4.

Convenit Sacerdotali ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam regulæ Pastoralis à sanctissimo Pontifice Gregorio edita; ne juxta eundem sanctissimum virum, ab imperitis, quod absit, Pastorale magisterium aliqua temeritate usurpetur, aut vilescat.